



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad  
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve  
Perinde Vtilis**

**Servius, Philippe**

**Leodii, 1648**

§. Secvndvs. Sæpè de morte ante mortem meditandum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)

Domino moriuntur : amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos ; ad gloriam , nempe , perpetuamque felicitatem.

7. Cùm mors sit tam certa , hora verò tam incerta ; petat à circumstantibus, quomodo audeamus nobis longam vitam polliceri, & ea spe decepti, vitæ melioris curam studiumque deponere? bene profectò, vt omnia, Diuus Hieronymus: Indignus est nomine Christiani, qui in eo statu vult vivere, in quo nollet mori. Proinde, se quisque examinet, videatque diligenter, ecquid sit in interiori animæ domo, quod abesse vellet, si mors ipsa iam pro foribus staret : Erit Epilogi instar, verum istud ac salutare Philosophorum pronunciatum.

#### §. SECVNDVS.

*Sapè de morte ante mortem  
meditandum.*

**V**idetur optimo Dei, naturæque consilio factum esse, vt homo, quotidie,

quotidie, velit nolit, quodammodo cogatur mortis suæ meminisse, cuius imaginem ante se continenter expressam habet. Dic amabo, mi homo, quid est somnus, cui quotidie libenter iuxta ac liberaliter indulges? nonne imago mortis? caue neges, ne tibi stulti nomen accersas: quid lectus, ubi, quasi in tumulo absconderis? nonne imago tui sepulchri? quid stragula, quibus, cadaueris instar, obuolueris? nonne prænuncia sunt linteoli tui feralis?

*Accedat ergo homo ad cor altum, & Ps. 61.*  
quod ruditer natura præfiguratur, altiori mentis indagine perscrutetur.

*Sedebit solitarius, inquit Propheta, & Thren.*  
*eleuabit se super se. Non aberit pre-* 3.

tium operæ: nam si fabricando fabrici fimus, hoc, ut spero, meditando sæpè de morte consequemur, ut cum seriò obeunda aduenerit, peritè magis ac salutariter obeatur. *Semper morere, inquebat ille, ut mortuus semper uiuas. Faciebat id D. Paulus, vnde ad Corinthios. Quotidie mor-* 1. Cor.  
*rior.* 15.

K 5

Et

Et nos, quibus incumbit semel dūtaxat reapse mori, moriamur sæpius, imaginatione, id est, mortem nobis quasi præsentem constituamus; & quomodo excipienda obeunda que sit, sedula mentis cogitatione pertractemus. Indignabatur olim Hieronymus, vndique magistros accersiri, à quibus, omnes ferè artes addiscerentur, doctrinam verò Christianam, ita passim ab omnibus negligi, vt de magistris consulendis ne cogitaretur quidem. Idem queri possit de neglectu Artis bene moriendi, & *hinc illa lacrymæ*; idè scilicet, tam inuisa mors, tamque terribilis existimatur; haud dubiè futura gratior, aut saltem minùs terribilis, si frequenti meditatione magis familiarem illam nobis faceremus.

Haud difficulter artem illam exercemus, cuius experimentis crebrioribus habitum iam nobis comparauimus.

Concedunt in campum qui ad brauium adspirant, ibique equos suos sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, quaqua versum denique infleunt,

Etunt, ac gyros mille conficiunt, vt,  
vbi in equestri palæstradiu multum-  
que proluserint, auratam tandē gem-  
mam (quod est equestris decursionis  
præmium) faciliùs assequantur.

Ita solent & qui artis cuiusvis speci-  
men aliquod singulare edere statuunt,  
non ante id faciunt, quàm multis ex-  
perimentis in tyrocinio, industriam  
suam magistro artis probauerint. Et  
nos, priusquam artis bene moriendi  
solemne documentum, & quasi pro-  
fessionem edamus (*periculosa plenum  
opus aleæ*) in præcedentibus experimen-  
tis, toto vitæ nostræ tyrocinio vtiliter  
admodum exercebimur; ita enim fiet  
vt bene morientium ius, ac præroga-  
tiam nanciscamur, inque eorum col-  
legium ac ordinem, in cælum, inquam,  
Deo Agonotheta adlegamur.

Quid porrò restat, nisi vt mortuo  
sepultoque Epitaphium componatur?

§. TER-